

nam etiam tandem consensus, qui inter ipsos constitutus fuerat, seruatus esset, minus nunc esset certe certaminum, quorum vero improbitate impedita et interrupta sit concordia, constat.

De persona Lutheri non libenter loquimur, quia ea oratio non est popularis, sed tamen hoc profitemur, quod supra dictum est, nos toto pectore amare et venerari Lutherum vtpote talem virum, qui Deo carus fuit, et praecipue ad emendationem doctrinae hac vltima mundi aetate a Deo mirabiliter excitatus et adiutus. Profitemur etiam vere nos esse ciues eius ecclesiae, quae voce huius salutaris organi Dei collecta et constituta est nec in doctrina fundamenti vlla in parte eum [89:] redarguimus. In hac ipsa causa etiam, vbi ardor et spiritus Lutheri fuerunt ingentes, multas phrases ipsius probamus et recipimus, incommodiores candide interpretamur et mitigamus, quantum possumus. Verum, si Luthero in tanto certaminum feruore exciderunt locutiones, quae ad rectam normam parum congruunt et ex quibus extrui possunt grauia in ecclesia incommoda, cur non liceat nobis amplecti sententiam eorum, qui fuerunt quasi παραστάται Luthero, additi a Deo, qui commodius senserunt et locuti sunt? Interdum discedimus ab Augustini et aliorum autoritate, qui fortassis non inferiores fuerunt Luthero, et ipsi hoc fieri iubent, nulla propterea contumelia illi sancti viri afficiuntur. Scimus Lutherum excelluisse sapientia plerosque suae aetatis homines. Ideo, cum omnia rerum momenta in toto quasi mundo inspiceret, forte existimauit non mouenda esse, quae vix possent obtineri, et certe nihil detrahitur eius autoritati, etsi arbitremur eum non prorsus fuisse in vita ἀναμάρτητον. Symbolum gratum et vsitatum magnis viris est αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλῶν. Atque olim dictum est: Gloriae cupiditas vltimo etiam sapientibus exiuit. Ita quidem scio iudicare illos, quibus familiariter notus fuit Lutherus. Cum igitur denuo in controuersiam vocetur, vtra pars senserit melius, imo, cum nunc quasi nouae moueantur res, ita vt altera pars assuat confusiones de vbiquitate et Communicatione Idiomatum physica et similes, altera vero totam hanc causam exponat magis erudite et incommodas opiniones vel locutiones priorum mutet et corrigat, cur non legitimam cognitionem ex eruditis vtriusque partis desideremus? Certe non expediet tyrannidem similem pontificiae in nostris ecclesiis stabilire. Agnoscamus dona Dei etiam in aliis nec fastu et amore nostri sicut Narcissus²⁵³ contabescamus. Sec inueniuntur quidam ciuiliores et callidiores, qui bellum σχῆμα πολιτικὸν excogitarunt. Ita enim ferme concionantur. Rem ipsam ostendere, quam perniciose sit σεισάχθεια praesentis status mutatio. Si enim aperte fateremur haesisse in nostris ecclesiis aliquos naeuos proponi nos deridendos hostibus et econtra leuia ingenia acui ad petulantiam subinde mouendi noua certamina et conuellendi caillationibus doctrinam recte constitutam. Valde igitur illos delinquere, qui vel sermonibus, scriptionibus vel consiliis receptam sententiam improbent et Lutherum aliosque tam

²⁵³ Vgl. Anm. 224.